Commentatio critica
de M. Tulli Ciceronis de legibus libris.

Codices, qui quidem adhuc collati sunt, omnes ex uno eodemque corrupto admodum ac mutilo codice fluxerunt, id quod declarant primum lacunae quaedam et verborum syllabarumve omissiones omnium codicum communes, interpretantium deinde quaedam additamenta reperta in omnibus, eiusmodi denique quaedam menda, quae miraculi sit instar casu orta esse in omnibus. Nec hoc nostra aetate fugit quemquam, qui his de legibus libris operam suam navaverit, postquam et Madvigius Orelliusque id tetigerunt, et pluribus id expositum est a me in progr. Cizensi a. 1841 atque a Bakio in praefatione editioni horum librorum praemissa. Quapropter ex ipsis codicibus non eam ubique orationis formam patet restitui posse, quae ab ipso Cicerone profecta est, sed eam tantum inveniri scripturam, quae in codice archetypo expressa erat; a qua, si depravata est, proficisci debet emendatio. Ista autem codicis archetypi scriptura etsi multis locis facile cognoscitur — etenim multi sunt sane loci, quibus omnes codices aut nihil plane, aut certe non magnopere inter se discrepent, veluti II, 22. 57. penitus humati dicantur [a]). III, 19. 45. praeterquam enim quod amicia [b]) illa essent armis gesta servilibus. II, 11. 28. bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu [c]). III, 10. 25. quae tamen sic data est, ut multis praeclarissimis [d]) — multis tamen locis aliis, ubi codices in diversas partes discedunt, istam eruere difficillimum est. Nec quaenam potissimum scriptura codici isti sit tribuenda, potest iudicari, nisi perspectum habeas, quae singulorum sit codicum fides atque auctoritas quoque cognationis vinculo inter se contineantur. Quo non cognito prudenter in his libris recensendis versari nemo potest. Quapropter quum et ante multa emendare sim conatus, et nunc quaedam nova instituam: operae pretium facturum me esse arbitror, si de cognatione, quae inter singulos horum librorum codices intercedat eorumque fide atque auctoritate certiora quaedam proponam, quam quae adhuc feruntur.

---

a) unde ingeniose Halmius in Schneidewini Phil. I. p. 177 ecfecit: *venit usu*, ut humati dicantur.

b) unde recte idem Halmius ibidem p. 179 elicuit; *omnia* illa essent armis gesta servilibus, in quod idem ego iam incideram.

c) pro quo ab hinc septem annos in progr. p. 16 conieci: humana.

d) unde in eodem progr. p. 21 ecfeci: praeclaris institutis, quod idem post coniecit Bakius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Codicum a viris doctis ad emendandos hos de legibus libros excussorum satis magnus est numerus. Nam praeter decem codices a Bakio collatos: tres Vossianos (ABD), codicem bibliothecae Lugduno-Batavae (C), codicem Perizonianum (E), tres ambrosianos ($\alpha\beta\gamma$), codicem Burneianum (δ) et Parisinum (ε), cuius collatio intra duos priores libros constitit, tres codices contulit Moserus: Creuzerianum (Cr.), Wyttenbachianum (W.) et Monacensem (Mon.) [a]); octo Goerenzius: Bruxianum (Br.), Vindobonensem (Vd.), quem ipse Viennensem dixit, Guelphertanos duos (Gud. 1. 2.), quorum alterum nunc ego diligenter excussi, duos Dresdenses (Dr. 1. 2.), Casselanum (Cass.), Uffenbachianum (Uff.); Davisius sex: Parisinum (Par.), codicem in Britanniarum regis bibliotheca Jacobea servatum (Reg.), Harleianos duos (Harl. 1. 2.), codicem a Richardo medo ei subministratum (Med.), Eliensem (El.) et Balliolensem (Ball.), qui est unus ex Oxoniensibus tribus (U. Ψ. Ex.), quorum scripturae discrepantia editioni Oxoniae a. 1793 paratae adscripta est. Huc denique accedit farrago scripturarum a Lago-Marsinio vel ex codicibus vel ex editionibus excerptarum, quarum eas, quas ex editionibus excerptas esse aut ipse indicavit, aut quibusdam eorum indiciis mihi certum est, nunc non curo. Ex codicibus autem eas tantum mihi persuasum est esse derivatas, quas ipse numeris 10. 11. 39. 58. 96 notavit; nam collationes librorum, numeris 47. 48. 120 notatae, quas Bakius ex libris manuscriptis dicit desumtas esse, propterea ex codicibus non videntur derivatae esse, quia aliquot locis, veluti I, 1. 4. opuscnlo, III, 19. 45. comitia, scripturas eas tenent, quae in nullo adhuc codice repertae sint. Ceteros, si qui sunt passim inspecti, tum quia scripturae discrepantia non satis plena ex iis est enotata, tum quia nihil isti habent, quod non item reperiatur in ceteris, satius duxi ab hac disputatione removere. Quas copias criticas examinanti maxima eo paratur difficultas, quod nec Davisius, nec Goerenzius satis magna cum fide ac diligentia in codicibus suis perlustrandis versatus est, ut quibus locis luculentissime codicum vel consensus, vel dissensus comprobari posse videatur, iis isti nos saepe deserant. Quod nisi aliunde constaret (vide Madvigi praefationem libris de fin. Bon. et Mal. praemissam p. XI), facile esset exemplis comprobare luculentissimis [b]).

Jam etsi codicum omnium, id quod propter communem eorum originem fieri aliter non potest, locis plurimis eadem est facies ac vultus plane idem: multis tamen locis aliis inter se discrepant. Quae quidem eiusmodi est discrepantia, ut ex duobus codicis archetypi apographis multifariam iam inter se discrepantibus derivati esse videantur, ita tamen, ut alii vel ex ipsis, vel ipsorum simillimis orti sint, alii ex iis, quae ab istis iam aliquantisper deflexissent, et aut nova quaedam menda suscepissent, aut ex alterius familiae codice aliquo passim essent correcti, aut coniectura denique

a) Copiae Victorianae, ab eodem communicatae, sunt variae scripturae undecunque corrasae, copias autem Victorianus b post scripturae discrepantiam a Bakio enotatam certum est esse collationem codicis Vossiani A vel B. Quare non est, quod utrasque istas copias nunc curemus.

b) Scripturae parum recte ex Gud. 2. a Goerenzio enotatae pauca quaedam exempla haec ponam: I, 4. 11. utinam pro uti iam. I, 18. 49. ipsum pro ipsi. II, 5. 12 anne ob pro *t.* ne ob. II, 6. 14. quam pro quom. II. 7. 18. legem legis pro legum leges. II, 10. 26. quadam opinione pro quaedam opinionis. III, 5. 12. non modo multum pro non multum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tentati. Ita fit, ut quamvis magna sit utriusque familiae similitudo, tamen eiusdem familiae codices a familia sua non ita raro discedant. Et ad alteram quidem familiam propter maximam inter ipsos similitudinem et a ceteris discrepantiam referendi sunt ABCEδ Gud. 2. 11. 65. [a]). Nam et genuinam saepe Tulli scripturam, in codice archetypo etiamtunc servatam, ad nostram usque aetatem propagarunt iis locis, quibus ceteri codices omnes menda susceperunt, et mendis plane iisdem sunt contaminati locis aliis, ubi vera scriptura servata est in ceteris, et sua saepe menda tenent locis iis, quibus ceteri codices alia menda susceperunt. Et primi quidem generis exempla haec sunt: I, 7. 21. regi nam (C in margine tantum habet divinam). I, 11. 31. pravitatibus. I, 19. 50. ac me istorum (Gud. 2. Cδ), vel paullum aberrantes ac mystorum (AB 11. 65), mestorum (E). I, 23. 60. societatemque caritatis. I, 24. 62. veri iudicandi scientia (Gud. 2. CEδ), vel paullum aberrantes iudicia aut iudiciū descientia (AB 11. 65). II, 5. 13. cuicuimodi fuerit ista (AB Gud. 2. 11. 65.), vel paullum aberrantes cuimodi (Cδ), cuiquimodo (E). II, 7. 17. velle fortasse. II, 11. 26. quaedam opinionis species deorum, vel paullum aberrantes quaedam opiniones species deorum (Gud. 2. E). II, 11. 28. vel fors in quo. III, 3. 6. in plera. III, 3. 8. potestati pari, pro quo in codicem C ceterorum codicum scriptura potestati parento invecta est corrigendo. Alterius generis haec sunt: I, 4. 14. adirem pro adire. I, 8. 24. flagicia (flegicia Gud. 2.) pro fragilia. I, 17. 47. enumero unde vel enumero vide qui teneros pro enumeravi qui teneros. I, 19. 51. propter rei fortitudinem (ABE 11.) vel propter rei formidinem (Gud. 2. Cδ 65.) pro propter rei turpitudinem. III, 2. 4. accommodavimus pro accommodabimus. III, 3. 7. caelibes sed prohibento. Hoc quidem loco, si recte Lago-Marsini silentium interpretor, cod. 65. habet, quod ceteri omnes tenent: caelibes esse prohibento; sed natum est haud dubie ex correctione, quemadmodum in codice C correctum esse Bakius indicavit. III, 3. 10. ei qui pro eique. III, 3. 6. spernanto (ABC 11. 65.) vel spernando (Gud. 2. Eδ) pro servanto. II, 27. 69. quam accepisti pro quam coepisti. II, 24. 61. [alioquin] multa exstarent. I, 10. 31. ducem [naturam] nactus. Tertii denique generis exempla haec sunt: I, 4. 14. incogniti de tenui est, in usu necesssarium; nam quod cod. E habet incognitum est, in usu necessarium, id correctum est. I, 7. 21. [de] deorum immortalium ut natura. Cod. C, qui habet de deorum immortalium ut nara (in marg. natura) h. l. correctus est. I, 23. 61. seseque non omnis (hominis Gud. 2. CE) circumdatum moenibus loci. II, 8. 19. colunt a quo stricta ea patribus (E) vel colunt oquos (equos Gud. 2. δ) vel colunto quos trita ea a patribus (C), quae omnia orta sunt ex genuina Tulli scriptura quos rite a patribus, servata illa in codd. AB 11. 65. II, 15. 39. indi. II, 22. 55. esse unam;

a) His etiam adnumerandus est codex S. Victoris, qui, ubicunque Gruterus eius mentionem facit, cum Vossianis fere consentit, veluti I. 4. 14. incogniti de tenui est in usu necessarium. I, 23. 60. societatemque caritatis; cuius tamen quum satis plena nobis tradita sit collatio, in censum nunc vocare nolo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nam esse humatam, quod est in A 11. 65, ex correctione natum est, quae et ipsa in cod. B. scripturae unam superscripta est. III, 3. 9. escunt ones. III, 3. 9. equitatem vel aequitatem cunque qui regat. III, 3. 10. prohibet se perscripta (in uno cod. 65. se omissum est). III, 12. 28. sed et laterat et ut, a quo paene nihil discedit A (sed eclaterat et ut) et certe non multum discedunt codd. 11. 65, quorum in illo videtur esse sed declarat et ut, in hoc sed se declarat et ut. Menda autem in omnibus his codicibus superstitiosa quadam religione propagantur, veluti I, 4. 14. incogniti de tenui est. II, 15. 39. indi. III, 12. 28. sed et laterat et ut. Nec unquam fere mendorum tollendorum elucet voluntas, casu et imprudentia librariorum literas magna cum religione pingentium orta sunt omnia. Quare si voluntatem universe spectamus, haud scio, an recte existimemus his maxime codicibus libri archetypi scripturas religiosissime esse propagatas. Idem post Madvigium de emendandis libris de legibus p. 3. sensit Bakius in praefat. p. IX. Qui si constantius hos libros esset secutus, ubicunque non constaret, in his manifesto librariorum lapsu a ceterorum scriptura aberrari, codicem archetypum fidelius ille quidem expressisset, quam expressit, passim unum alterumve codicem a familia sua discedentem secutus.

Ceterorum codicum etsi non tanta tamque insignis est similitudo, quam eorum, de quibus modo dixi, tanta tamen est locis sat multis, ut omnes ex uno codicis archetypi apographo derivatos esse intelligatur, quod ab eo, ex quo meliores fluxerunt, multis iam locis discreparet. Nam et genuinam tradunt Tulli scripturam, ubi liber ille, ex quo meliores orti sunt, menda iam susceperat, et peculiaria quaedam menda tenent locis aliis, quibus genuina Tulli scriptura in meliorum principe libro aut servata, aut alio quodam mendo contaminata erat. Quae menda non possent omnes obsidere, nisi iam librum eum, unde hi fluxerunt, invasissent. In horum autem codicum numero habendi sunt Baki codices ambrosiani ($\alpha\beta\gamma$), Vossianus (D), Parisinus (ε), Moseri et Davisi omnes (Cr. W. Mon. Par. Reg. Harl. 1. 2. Med. El. Ball.), tres Oxonienses (U. Ex. Ψ), Goerenzi Dr. 1. 2. Cass. Gud. 1., denique Lago-Marsini 10. 39. 58. 96. Et genuinam quidem scripturam locis aliquot, quibus meliores iam menda susceperant, prodiderunt: I, 4. 14. adire. I, 8. 24. fragilia. I, 17. 47. enumeravi qui teneros. I, 19. 51. propter rei turpitudinem. III, 2. 4. accommodabimus. III, 3. 6. servanto. III, 3. 7. caelibes esse prohibento. III, 3. 10. eique. II, 27. 69. quam coepisti. II, 24. 61. alioquin multa exstarent. I, 10. 31. ducem naturam nactus. Menda autem, ubi in melioribus ipsius Tulli scriptura servata est, susceperunt his locis: I, 11. 31. pravis actibus pro pravitatibus. I, 19. 50. ac nimis (nimium Vind.) istorum (acuminis istorum Ex.) pro ac me istorum. I, 23. 60. societatemque carnis pro societatem caritatis. II, 5. 13. cui quid mali fuerit pro cuicuimodi fuerit. II, 7. 17. vellem fortasse pro velle fortasse. II, 10. 26. quadam opinione species pro quaedam opinionis species [a]). II,

a) Goerenzius ac Davisius, qui vellem et quadam opinione ediderunt, nihil h. l. de suis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

11. 28. vel forum in quo pro vel fors in quo [a]). III, 3. 6. praelia (pluralia Cass.) pro plera codicum meliorum. III, 3. 8. parento, pro quo licet Davisius et Goerenzius pari ediderint nec quicquam discrepantiae ex suis enotaverint, nihil tamen mihi certius est, quam praeter Gud. 2. et si quis forte unus alterve correctus sit ex melioribus, nullum Davisi habuisse pari. Et in Davisi quidem codicibus omnibus fuisse parento, haud immerito inde colligas, quod pari ex Victori tantum codicibus fluxisse dicit nec meminit suorum. Aliis denique locis, quibus iam cod. arch. menda susceperat, scripturas prodiderunt peculiares quasdam et a melioribus codicibus discrepantes, veluti I, 4. 14. ubi meliores incogniti de tenui est, in usu necessarium, hi omnes habent incognitum minusque (vel minus quam) in usu necessarium. I, 7. 21. ubi meliores habent [de] immortalium deorum ut natura, hi omnes primum in eo consentiunt, quod praepositionem de ante deorum tenent; deinde pro mendo aperto, cuius tamen in promtu correctio est, aut particula ut omissa simpliciter natura praebent (α D Cr. Mon. W. Par. Reg. Ball. Harl. 1. 2. Med. El.) aut vi et natura ($\beta\gamma$). II, 8. 19. ubi meliores aut quos rite a patribus aut scripturam praebent, quae eodem ducat, hi omnes tenent constructa a patribus. II, 15. 39. meliores indi, hi omnes inde demi, vel idem demi (Cr. D). II, 22. 56. meliores esse unam, hi aut esse humatam, aut esse usam, quae videtur coniectura esse in aliquot codices illata, veluti in γ, Mon. Reg., si Baki, Moseri, Davisi recte silentium interpretor; in Par. Harl. 2. El. margini adscripta est. Goerenzius nihil de suis h. l. monuit. III, 3. 9. meliores escunt ones, hi estunto (escunto γ) [b]). III, 3. 9. hi omnes equitatem quicunque regat, nullus equitatem cunque, uti meliores; quod licet ipsum sit depravatum, tamen veri inveniendi (equitatumque qui regat) viam monstrat. III, 12. 28. meliores sed et laterat et ut vitio, hi omnes sed et altera; quae scriptura etiam in codd. β et γ, quum coniectura haud dubie vera inferretur: quae et late patet ut vitio, servata est; tenent enim isti sed et late patet altera.

Quod autem multis locis aliis horum codicum non tanta est similitudo, quanta meliorum, eius rei causa hinc maxime est repetenda, quod nec tanta scripti sunt diligentia ac religione, quanta illi, nec omnes ex ipso principe libro, aut eius simillimo derivati sunt, sed partim ex libris fluxerunt, qui praeter communia ista menda sua quaedam susceperant. Huc accedit denique, quod quemadmodum in ipso principe huius familiae libro (cfr. I, 4. 14. I, 7. 21. II, 15. 39. II, 18. 45. cavato — in cod. arch. fuit cato, quod est in melioribus), ita in his, si minus omnibus, at certe multis voluntas elucet manifestorum mendorum tollendorum (cfr. III, 10. 23. vituperabilis); in quo praeter ceteros eminent codices ambrosiani. Cfr. I, 7. 21. vi et natura ($\beta\gamma$). I, 7. 23. civitati sit (D α Br.), quum ceterorum eiusdem familiae ac meliorum omnium con-

---

monuerunt. Quorum ex silentio etsi haudquaquam semper recte colligitur scripturam a se receptam omnibus suis codicibus confirmari: hoc tamen loco recte id statui aliorum locorum declarat analogia.

a) Si verum est, praeter Gud. alterum, Bruxianum et Vindobonensem Uffenbachianum quoque et Dresdensem 2. habere vel fors in quo, isti ex melioribus h. l. correcti sunt.

b) In unum codicem γ post estunto coniectura invectum est oenus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sensu constet, sit a codice arch. abfuisse. I, 8. 30. et si quem alium praeterii. Ceteris cet. ($\beta\gamma$). I, 14. 40. sed ut eos (β), quum nihil certius sit, quam sed iam in codice archetypo defuisse. I, 15. 42. eaque quae ($\beta\gamma$), quod licet sit verissimum ac plane necessarium, tamen nihil, nisi coniectura est. I, 16. 44. aut cur quum (β). III, 5. 12. in illis libris ($\beta\gamma$), quod ipsum, licet sit verissimum, patet coniecturae deberi; nam illis reliquorum codicum consensu a codice archet. iam abfuisse contestatum est. II, 12. 29. *non* interpretatum nomen (α), *nec* interpretatum nomen ($\beta\gamma$). Atque coniecturas esse codicum istorum a familia sua discedentium scripturas eas, quae casui deberi non videantur, luculentius etiam inde perspicitur, quod multis locis praeter coniecturam in verborum seriem receptam mendum servatum est ex principe libro derivatum, veluti III, 12. 28. sed et late patet altera ut ($\beta\gamma$). I, 6. 18. et at potius (γ) [a]). Interdum ipsa coniectura denuo corrupta est, veluti I, 12. 33. inter omnes iustos natura hos esse, ubi non dubium est, quin hos ortum sit ex hōs i. e. homines, quod ipsum natum est ex coniectura tum, quum verba ius nos in unum vocabulum iustos conflata essent. Quosdam autem horum codicum sui esse similiores, quam omnes sunt omnium, veluti β et γ, non ita difficile est intellectu. Nec dubito equidem, quin singulis codicibus diligentius exploratis stirpes quaedam huius familiae possint distingui. Verum quum subtilior ea de re disputatio nunc eo impediatur, quod plurimi codices non satis diligenter sunt excussi, nec magnus inde his libris sit fructus redundaturus, quoniam, quum eiusdem familiae codices inter se discedunt, hoc unum maxime quaerendum est, quid in principe utriusque familiae libro scriptum fuerit idque ex discrepantia alterius familiae vel secum, vel cum altera comparata plerumque divinari potest: totam hanc ego disputationem nunc praetermittendam puto.

Inter hos autem utriusque familiae codices interiecti quidam sunt, qui alias cum deterioribus consentiunt, cum melioribus alias nec ullam tenent scripturam notabiliorem, quae ex altera utra familia non iam innotuerit. Quorum in numero videntur habendi esse Goerenzi cod. Bruxianus (Br.) et Vindobonensis (Vind.) [b]). Qui quum consentiant cum deterioribus I, 4. 14. incognitum est minusque vel minus quam in usu necessarium; I, 19. 50. ac nimis vel nimium; II, 11. 26. quadam opinione species; II, 18. 46. quaeque res et ars (res pares Br.); III, 3. 9. equitatem quicunque regat: alias plus minusve cum melioribus consentiunt, veluti I, 13. 39, ubi indi habere dicuntur; II, 5. 13, ubi cuiquimodo habent; II, 5. 11, ubi enotatur inventas; I, 11. 31, ubi pravitatibus habent; I, 24. 62, veri et falsi indicandi scientia; II, 11. 28. vel fors in quo [c]). Qui codices utrum descripti ex melioribus cor-

a) Quod quum non agnosceret Halmius, vir et doctrina et ingenio insignis, interdum his codicibus nimium tribuit in schedis criticis Schneidewini Philologo I. p. 172—179 insertis, veluti II, 5. 13. II, 12. 29. II, 17. 42. III, 13. 28.

b) Erravit igitur Goerenzius, quum in optimorum istos numero esse diceret, in quo ex istius codicibus unus est Gud. alter. Gravius etiam erravit de Dresd. 2, quem in deteriorum numero esse supra vidimus, et de Uffenbachiano, qui item ex deteriore libro derivatus et passim ex meliore correctus esse videtur

c) Hoc quidem loco Uffenbachianus quoque et Dresd. 2 ex melioribus correcti sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recti sint ex deterioribus, an contra, in tanta Goerenzi negligentia diiudicare non ausim. Magis tamen in eam inclino sententiam, ut derivatos eos putem ex melioribus, correctos ex deterioribus.

Jam si quaerimus, quam vim ista disputatio in his de legibus libris recensendis habeat, nimirum hanc habet, ne hanc illamve codicis alicuius scripturam arripiamus, ut aut, si probabilis sit, probemus, aut si probari non possit, emendationem loci ab ea repetamus, sed potius, ubicunque codices inter se discrepent, quaeramus, quid in principe utriusque familiae codice scriptum fuerit. Quo invento si aut omnium, aut plurimorum codicum consensu idem in utroque fuisse cognoverimus, hoc archetypo tribuamus necesse est, ab eoque, si probari non potest, emendationem loci necesse est proficisci. Quod si hic vel ille codex familiae deterioris, a familia sua discedens, scripturam eam tenet, quam a Cicerone profectam esse aut certum sit, aut veri certe simillimum, tamen coniecturam eam haberi necesse est. Quare merito probamus coniecturas, quae sunt in codd. β et γ III, 5. 12. in illis libris; I, 15. 42. eaque quae, ut necessarias; merito autem improbamus coniecturam, quae est in eisdem codicibus aliisque nonnullis III, 13. 30. praeterii. Ceteris, quum tempus perfectum ad eas tantum referretur omissiones, quas iam commisit, non ad eas etiam, quas progrediente disputatione committere possit; scribendumque est, ut docui in Annalibus a Jahnio et Klotzio editis a. 1847 p. 317 praeteriero. Ceteris specimen esto. Sin autem codicum discrepantia diversam scripturam in utriusque familiae principe libro fuisse declarat nec principem meliorum librum peculiare quoddam mendum suscepisse conspicuum est genuina Tulli scriptura in principe deteriorum libro servata: meliorum auctoritatem sequendam esse patet, sive integra Tulli scriptura ab iis prodita est, sive mendum propagatum, quod codicem archetypum iam invaserat. Quam rationem Bakius Madvigiusque secuti suam passim Tullio scripturam et ex codicibus et coniectura restituerunt, veluti ex melioribus codicibus Madvigius Tullio haec restituit: II, 5. 12. estne ob id ipsum habenda nullo loco; II, 8. 19. quos rite a patribus; III, 4. 11. discedere et tabellam iubebo dari; Bakius haec: I, 19. 52. *nam si* propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid, quam virtutem necesse est. I, 20. 53. unane est solum dissensio? II, 4. 10. nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis *habet*. II, 7. 17. velle fortasse. Coniectura autem praeter alia Madvigius meliorum vestigia secutus ingeniose restituit I, 4. 14. in cognitione tenue est, in usu necessarium (cfr. Emendatt. p. 3); itemque Bakius ex meliorum codicum vestigiis recte elicuit III, 8. 20. *namque* ut C. Flaminium — relinquam. I, 8. 25. est autem virtus nihil aliud, *nisi* perfecta et ad summum perducta natura. III, 3. 7. urbis tecta, templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento; itemque nuper Halmius in Schneidewini Philol. I. p. 173 pro vulgata deteriorum scriptura I, 5. 15. (nullo in genere disputandi magis honeste patefieri) ex meliorirum vestigiis (nullo in genere disputandi honesta patefieri) ingeniose ecfecit: si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri. Nec ego iam abhinc aliquot annos eandem rationem secutus suam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

auctori scripturam aliquot locis ex melioribus libris vindicasse mihi videor, vel traditae scripturae suscepto patrocinio, vel coniectura, veluti I, 20. 52. cum ista oratione tecum prolaberer. Cfr. progr. p. 14, quod idem Bakius Tullio vindicavit mea non cognita disputatione. I, 16. 44. aut quum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Cfr. Annales a Jahnio et Klotzio edit. a. 1846 p. 529. II, 7. 15. vi, ditione ac numine. ibid. p. 530. II, 10. 25. quid enim? paupertatem quum divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam sumtu ad sacra addito deorum cultu arceamus? ibid. p. 531. I, 19. 50. innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erubescunt? pudet etiam loqui de pudicitia? Ac me istorum cet. (Cfr. progr. p. 13), quemadmodum post hunc locum etiam Bakius constituit et ante fere constituerat Madvigius, cuius mihi tunc non cognita fuit commentatio. II, 9. 21. neve quoi initianto, nisi, ut assolet, Cereri, graeco sacro. Cfr. Annales a Jahnio et Klotzio edit. 1846. p. 530. II, 13. 34. reddam vero, et id, si potero, brevi. ibid. 1847. p. 314. Alia etiamnunc in his libris multa restant, quae aut ex ipsis codicibus et maxime quidem melioribus auctori sint vindicanda, aut coniectura restituenda, quae vel una meliorum, vel meliorum deteriorumque coniuncta auctoritate nitatur. Ac quoniam traditae scripturae gratius est negotium tuendae, quam coniecturae tentandae, primum de eis locis disseram, qui codicum ope videantur persanari posse.

I, 18. 49. Ubi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam? Non quod adhuc vulgatum et in aliquot deterioribus codicibus (γ Mon.) repertum est, probari ab interpretibus oportebat: eum *ipsum* cernunt grati; habet enim hoc oppositum: non alium hominem; verissimumque est, quod ex meliorum omnium deteriorumque plurimorum [a]) consensu in codice archetypo fuisse perspicitur: eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam, modo ipsi interpretemur ultro, sua sponte i. e. non alia re, veluti h. l. utilitate, adducti. Cfr. Cic. de or. I, 24. 111. ne ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus ex togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris neque omnino rudis videar non ipse aliquid a me promsisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. Cfr. Matth. ad Cic. Cat. II, 1. Eandemque vim pronomini vindicavi de Leg. I, 24. 63. in progr. p. 15, ubi ex meliorum deteriorumque quorundam codicum vestigiis: re vera facis (AB 11. 65. D β ε Cr. W. Mon. Dr. 1. 2. — ne vero E) scribendum esse docui: recte vero facis et merito et ipse fuitque id, ut dicis, in hoc sermone necessarium. Nam quum Tullius et lubenter, et ut speret, recte se id facere dixerit, quod philosopiam, cuius studio teneatur quaeque eum,

a) Ex deterioribus enim Cr. W. β ε D ipsi tenent et eo tantum a melioribus discedunt, quod verba sic transponunt: eum, cui referunt gratiam, ipsi cernunt grati (α utramque scripturam coniunctam habet: eum ipsum, cui referunt gratiam, ipsi cernunt grati). Nec dubito, quin Davisi et Goerenzi codices plurimi ipsi teneant. Nam quae fides habenda sit Goerenzio affirmanti in Bruxiano, Gudiano utroque et Dresdensi 1. servari vulgatam (i. e. eum ipsum), hinc elucet, quod in Gud. 2. distincte scriptum est ipsi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quicunque sit, effecerit, non possit silentio praeterire, Atticus merito et sua sponte eum id facere respondet, et fuisse id in hoc sermrne faciundum.

II, 1. 1. sive quid mecum ipse cogito, sive aut quid scribo, aut lego. Meliores codices omnes (BCE δ Gud. 2., etiam S. Vict.) excepto uno Vossiano A habent sive aut quid scribo, aut lego. Quumque in multis etiam deteriorum idem reperiatur (Br. Vind. Cass. Gud. 1. Par. Reg. γ), haud inepte inde colligas, in principe quoque deteriorum libro eandem fuisse scripturam quaeque ceteri praebeant eiusdem familiae codices: sive aliquid scribo aut lego (D. Dr. 1. 2. Cr. W. Harl. 1. 2. Ball. Pal. 3, itemque A) — sive aliud quid scribo, aut lego (Mon. Pal. 4.) — sive quid scribo aut lego (α) — sive aliquid aut scribo aut lego (β), correctioni deberi. Quae quum ita sint, improbari non oportebat hanc scripturam, a Davisio et Goerenzio iam commendatam: sive aut quid scribo aut lego. Nihil enim videtur impedire, quo minus Cicero primum cogitationem atque scribendi legendique operam tamquam duas studiorum partes distinens hanc deinde geminata particula aut disiungat. Quum igitur nemo, opinor, offenderetur hisce: sive aut scribo, aut lego, quemadmodum ipse Tullius locutus est loco aliquo, olim a me notato, quem nunc accuratius definire non possum [a]), ne pronomen quidem interpositum propter vim eius adeo deminutam offensionis quicquam habet. Sive aliquid scribo aut lego, quod post Vict. Man. Lamb. probavit Bakius et agnovisse videtur Madvigius (cfr. grammat. lat. §. 332.) vel ob leviorem codicum auctoritatem, vel propterea probari non posse videtur, quia pronominis intendendi h. l. causa omnino nulla est. Cfr. Madv. grammat. lat. §. 484.

II, 2. 5. Idem ego te accipio dicere Arpinum. Nulla potest alia his verbis, quae omnibus codicibus sunt confirmata, contineri sententia, nisi ea, quam Schuetzius et Moserus iis inesse iam senserunt. Est vero haec: Quem locum nunc patriam germanam esse tuam dicis, eundem ego te accipio dicere Arpinum, quemadmodum appellabat, si non locum ipsum, ubi natus esset, sed patriam omnino declarare attinebat. Quam Attici explicationem, etsi non ita necessaria est, ut carere ea omnino non possimus: tamen nec prorsus inutilem cum Wagnero, nec insulsam cum Bakio nominaverim. Quum enim alias patriam nominet non villam istam, sed Arpinum municipium, potest sane, ut omnis ea de re dubitatio eximatur, idem utrumque esse adiungere, praesertim quum mox et Catonis patria Tusculo nominato omnibus municipibus duas esse patrias dicat, et de ipso Arpino municipio Atticus tamquam de Tulli patria loquatur. Quod autem idem Tullius scripsit, non eundem, id explicandum est ex eo attractionis genere, de quo nostra aetate a multis viris doctis expositum est. Cfr. inprimis Krueger Untersuchungen III. §. 54. Zumpti grammat. lat. §. 372. Quae quum ita sint, haec verba non videntur tentanda esse coniecturis, id quod post Lambinum (quem ego te accipio dicere Arpinum) et Schefferum

a) Quid? quod post ipsam particulam aut geminatam eandem particulam geminavit Cic. or. I, 9. Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laeti, aut de huius generi, aut arte, aut gloria detraham.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(idem ego te accipio dicere ac Arpinum) fecerunt Rathius (eandem ego te accipio dicere Romam), Goerenzius (id enim ego te accipio dicere Arpinum), Bakius (quem soles de municipio dicere Arpinum) ac nuperrime in Schneidewini Philol. I. p. 175 Halmius (si quidem ego te accipio dicere Arpinum).

II, 2. 5. Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est. Haec aliter ab aliis tentata et a Schuetzio expulsa non audeo ego invitis codicibus omnibus mutare, praesertim quum nullum turbarum factarum vestigium appareat. Res publica haud dubie h. l. ea est, quam III, 16. 36. summam rem publicam dixit et a municipali secrevit. Quod contra universa civitas eos etiam cives complectitur, qui non in summa illa re publica versabantur nec cives optimi iuris erant. Atque eos quoque a Roma patria nomen accipere dicit, quod summae illius rei publicae sit i. e. nomen romanum.

II, 6. 14. Quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video: quum quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scripserunt. Ex codicibus melioribus omnibus (nam eodem ducit scriptura codicum E et Gud. 2 quom quidam [a]) pro quamquam, quod a Goerenzio primo expressum ex Bruxiano probatum est a Schuetzio Orellioque, Tullio restituendum est quum quidem; id quod quum ante fecisset Moserus, denuo nuper commendavit Bakius. Recte enim haec particula intenditur, veluti Cic. de I, §. 72 quum quidem gloriaretur. Quod contra ipsa exceptio vel concessio non sane videtur intendi posse recteque Bakius contendisse, si quid intendatur, id intendi oportere, quod specialiter excipiatur vel concedatur, veluti de Fin. III, 2. 8. quamquam hoc quidem proprium tuum munus est. de Fin. I, 1. 2. quamquam philosophiae quidem vituperatoribus. Iniuria autem negat Bakius quum esse h. l. coniunctionem temporalem requirique coniunctivum scripserint. Ipsum quidem temporalem particulae vim, ab huius loci sententia minime alienam, videtur confirmare. Potuit autem Tullius, quemadmodum fecit de div. I, §. 72. sententiam temporalem, quam adiunxit, nectere ex sententia antecedente scribendo: quum quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scriberent. Sed id eum facere noluisse inde apparet, quod usus est tempore perfecto. Sententia igitur temporalis corollarii locum obtinet, nulla necessitudine cum praecedente sententia coniuncti, veluti Cic. de Off. I, 13. 40. maximum exemplum est iustitiae in hostes a maioribus nostris constitutum, quum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum.

II, 7. 16. In codice archetypo non puto scriptum fuisse, quod in deterioribus tantum reperitur ab utili et a vera sententia, sed ab utili aut a vera sententia, quod est in melioribus AB 11. 65. et ad quod vel discrepantia ducit codicum Gud. 2 et Burn. δ (ab uti illa aut aversa) et codicis C (ab utili illa aut aversa).

---

a) Sic enim distincte scriptum est in Gud. 2, non quam, quod Goerenzius ex eo enotavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Istam autem codicis archetypi scripturam non est, quod improbemus. Saepenumero enim Romani particula aut utuntur, quum in locum rei rem aliam substituunt, qua id, quod dicere volunt, distinctius declarent. Cfr. Cic. de Fin. V, 11. 33. de hominum genere loquor, aut omnino de animalium. de Leg. I, 13. 36. Aut significat igitur h. l. oder auch. Cfr. Stuerenburg ad Cic. pro Arch. p. 21. Weissenborn grammat. lat. p. 388. Non tollit igitur particula eius sententiae utilitatem, ita ut, si vera sit, non eadem sit utilis, sed quoniam non satis est utilem dici illam sententiam, quo nomine rectius appelletur, adiungit.

II, 7. 16. Quumque omnia, quae rationem habent, praestent iis, quae sint rationis expertia. In codice archetypo fuisse sint, non sunt, quod primum commendatum a Goerenzio susceperunt Moserus, Orellius, Bakius, summus et meliorum et deteriorum codicum consensus declarat. Quod quum a codice archet. non temere discedendum esse existimem nec ulla h. l. causa appareat, cur coniunctivus repudietur, Ciceroni eum restituendum esse arbitror. Nam et eiusdem modi (praestent) facit vicinia, ut altera sententia relativa mente tantum concipiatur (in die Sphäre der Vorstellung gerückt wird), quum altera, qualis res est, declaretur, et ita videtur coniunctivus defendi posse, ut non certas quasdam res, sed genus quoddam rerum definiri dicamus, veluti Cic. de Fin. III, 1. 4. Itaque et dialectici et physici verbis utuntur eis, quae ipsi Graeciae nota non sint. Cic. or. 52, 200. Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint et quaecunque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Eodemque modo explicandus est coniunctivus de Fin. V, 18. 49. Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. Atque similiter indicativum excipit coniunctivus Cic. de Or. II, 26. 111. Ambiguorum plura sunt genera: quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant.

II, 7. 16. Habes legis prooemium, sic enim hoc appellat Plato. Haec, etsi edita sunt adhuc ab omnibus, non tamen codicum auctoritate satis esse firmata, ex scripturae discrepantia licet videre a Mosero et Bakio enotata. Nam meliores quidem codices (ABE Gud. 2. δ) [a]) inter testibus et habes tenent his (B is), nec paucos ego melioribus accedere puto deteriores. Enotatum certe est ex α γ Mon. et est procul dubio in pluribus Davisi et Goerenzi codicibus, qui de more suo nihil ex libris suis discrepantiae excerpserunt, quia his pro peculiari suorum codicum mendo habebant. Non igitur quae adhuc edita sunt — etsi per se optime se habent. Cfr. de Or. II, 88. 361. habetis sermonem bene longum hominis cet. — sed haec in codice archetypo fuerunt: his habes legis prooemium; sic enim cet. Quae sive sententiam, sive orationem spectas, non est, cur improbemus. Sententia quidem

a) In codicibus 11. 65 quod his sublatum est, eius rei causa hinc est repetenda, quod in cod. A expunctum est. Si enim non ex ipso codice A isti codices fluxerunt, certe ex apographo eius simillimo sunt derivati.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haec est: Hierin hast du die Vorrede zum Gesetz. Declarat igitur pronomen eis, quae ante disputata sint, prooemium legis contineri. Est igitur Ablativus instrumenti, qui nihil habet insoliti. Insolentior certe est Ablativus, quo utitur Cicero de Fin. II, 3. 8. verum hoc loco sumo verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum nosse, quam ceteros. Quamquam hic quidem est ablativus causae, ex qua aliquid cognoscatur (Erkenntnissgrund), non instrumenti (wegen dieser Worte kennt er denselben Begriff des Vergnügens, i. e. quia his verbis utitur, non quum his verbis utitur, quemadmodum interpretatur Madvigius, qui tamen recte vim horum verborum universe sic reddit: ostendere his verbis, se nosse eandem vim voluptatis). Quae si vere disputavi, haud scio, an non sit contemnenda scriptura codicum meliorum ad unum omnium: sic enim *haec* appellat Plato, in qua pronomen non ad prooemium, sed ad ea refertur, quae, uti haec ipsa, praemumiantur legi. Nam maximi quidem momenti, quum pronomen et ad praecedens et ad sequens substantivum constet referri, in his est codicum auctoritas; nec puto nostra aetate reperiri, qui „quod et frequentior sit et elaboratior" altera structura, pronomen ad sequens substantivum dicant referri oportere codicibus aut minus, aut nihil prorsus suffragantibus. Cfr. Krüger Untersuchungen p. 102 seqq.

II, 10. 24. Quod inde a Manutio sine ulla dubitationis significatione ediderunt: ut casta corpora adhibeantur, id non tam certum est, quam primo adspectu cuipiam videri possit. Nam etiamsi illud nolim urgere, quod certe novum est, quod corpora tamquam accidentia hominis ad deos adeuntis mente informari necesse est: codicum tamen aliquot meliorum (A. 11. 65) discrepantia adeatur reliquorumque mendum adhibeatur (sic certe BE Gud. 2.) [a]) in codice archetypo scriptum fuisse declarat corpore casto adeatur, quod in deterioribus paene est omnibus, cuius corrigendi nulla est necessitas; nam pluralis numerus corporibus castis, quem exspectari dicit Davisius, eo minus requiritur, quum propter passivam verbi formam de singulis quibusque, qui adeant, cogitari possit.

II, 11. 26. Est enim quaedam opinionis species deorum in oculis, non solum in mentibus. Codicum auctoritate caret, quod commendatum a Mosero in verborum seriem receptum est ab Orellio ac nuper probatum a Bakio: est enim quaedam opinione species in oculis, non solum in mentibus. Codices enim aut quaedam opinionis species habent, veluti AB 11. 65. (E Gud. 2. opiniones, quod eodem ducit), aut quadam opinione species, quod in deterioribus videtur esse omnibus et corrigendo illatum est in codices C et δ. Quod quum principem deteriorum librum aut mendo, aut coniectura depravatum fuisse pateat — pronomen enim ad species referri necesse est — quumque meliorum librorum scriptura nihil habeat, quo iure offendat, ea procul dubio est amplectenda, nec tentanda coniectura. Est autem opinionis genitivus causae, et opinionis species est species, quae proficiscitur ab

a) In nullo codice puto adhibeantur reperiri, nisi si in quem coniectura est illatum; de codice Gud. 2. id pro certo possum affirmare, licet Goerenzius adhibeantur ex eo enotaverit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

opinione (eine eingebildete Gestalt) similiterque dicitur atque Cic. pro Arch. 7. conformatio doctrinae (wissenschaftliche Bildung) et de Off. I, 32. 116. belli laus. Duplex autem genitivus non magis offendit, quam vel apud Caesarem B. G. III, 18. superiorum dierum Sabini cunctatio, vel apud Ciceronem Tusc. II, 15. 35. labor est functio quaedam vel animi, vel corporis gravioris operis et muneris, et de Leg. II, 17. 42. iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium conservatae patriae consecuti sumus.

II, 12. 29. Quumque Vesta quasi focum urbis, ut graeco nomine est appellata, quod nos prope idem graecum interpretatum nomen tenemus, complexa sit. Verba quod nos prope idem graecum interpretatum nomen tenemus in codice archetypo fuisse codicum meliorum omnium deteriorumque plurimorum testimonio contestatum est. Unde scripturae discrepantiam a Bakio e codicibus ambrosianis enotatam (non interpretatum α, nec interpretatum $\beta\gamma$) coniecturae patet deberi. Quae ita tantum potest probari, si nec codicis archetypi scriptura potest probari et ipsa omnes veri numeros habet. At vero quum codicis archetypi scriptura haudquaquam videatur ea esse, quam improbari necesse sit, nec istas probo coniecturas, quarum alteram (non interpretatum) suscepit Halmius in Schneidewini Philol. I. p. 177, alteram (nec interpretatum) Moserus, nec ceteras virorum doctorum coniecturas veras iudico. Etsi enim interpretari plerumque ita dicitur, ut sit verbum non latinum reddere latino, veluti Cic. de Fin. II, 31. 100. (epistolam Epicuri laudandam arbitror, eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum): videtur tamen etiam usurpari posse, quum verbum graecum, paullum immutatum, formam induat latinam. Nam haec quoque Romanis quaedam quodammodo erat interpretatio, quum pro graeco vocabulo ἑστίας ponebant Vestae vocabulum, ipsorum sermone tritissimum. Quod si ita est, non improbaverim ista, quae sic verto: welches Wort wir fast ganz so, wie es im Griechischen ist, in der Uebersetzung beibehalten. Intelligitur autem procul dubio vocabulum Vestae, non foci, id quod persuasum fuit Bakio, qui quoque pro prope commendans haec sic interpretatur: graecum vocabulum ἑστίας nos quoque interpretando, ut sit nobis focus, idem tenemus.

III, 1. 2. In codice archetypo scriptum fuit vereque dici potest, si quidem id non solum praestant omnes codices meliores, verum etiam deteriorum longe plerique [a]), ut vel in deteriorum principe libro potest fuisse pateat. Quare Goerenzius, Moserus, Nobbius, Orellius, qui verbo potest omisso verbisque ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus parenthesi circumscriptis dici ex praecedente videndi verbo pendere voluerunt, merito reprehensi sunt a Bakio, qui verba ista, quae rationem continerent praecedentium, parenthesi posse coërceri iure negavit. Quod autem ipse requirit vereque dicitur, id haudquaquam necessarium est. Neque enim sententiam illam aliis, veluti Stoicis, tribui necesse est; ac potius

a) nam praeter Goerenzi Brux. Vind. Uff. Dr. 2. a solis codicibus Cr. et D abesse dicitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veri est simile Ciceronem ex imitatione dicti Aristotelici (de arte poët. XXVI, 2. p. 71 ed. Herm. picturam esse poësin tacitam, poësin autem picturam loquentem) haec de sua ipsius sententia dixisse. Nusquam certe ista sententia aut Stoicis tribuitur, aut cuiquam veterum philosophorum.

Sunt autem alia, quae, quum iam in codice archetypo essent depravata, sanari non possint, nisi coniectura; quae et ipsa, si altera codicum familia ab altera discedit, meliorum potissimum codicum niti debet vestigiis, quoniam quidem in his plerumque religiosius, quam in deterioribus codicis archetypi vestigia sunt propagata.

I, 9. 26 quum recte ex codicibus melioribus Bakius et sensus restituerit: tamen nec ipse, nec qui post illum de hoc loco disseruit, Halmius in Schneidewini Philol. I. p. 174 verba sequentia obscuras nec satis intelligentias enodavit emendasse existimandus est, si quidem ille ex verbis nec satis ecficiens sed certas scripsit: et rerum plurimarum obscuras, sed certas intelligentias inchoavit; hic: et rerum plurimarum obscuras nec satis distinctas intelligentias ei donavit. In codice archetypo haud dubie erant, quae meliores tenent omnes: et rerum plurimarum obscuras nec satis intelligentias enodavit; nam intelligendas, quod A et B praebent, ipsorum, non familiae, mendum est. In qua scriptura quum duo essent, quae iure offenderent, enodavit et nec satis, eorum alterum pridem recte mutatum est in inchoavit, id quod luculenter elucet ex verbis, quae posuit §. 27. (quorum ex prima et inchoata intelligentia genera cognovit), quae ponere non poterat, nisi ante de inchoata intelligentia dixisset. Alterum autem mendum a nemine adhuc arbitror sublatum esse. Etenim non minus puto a recta via deflexisse eos, qui post nec satis adiectivum aliquod, veluti claras, apertas, illustratas, distinctas excidisse arbitrati sunt, quam Goerenzium, qui quod in codices aliquot deteriores illatum est coniectura, necessarias, amplexus est. Incommode enim, quum omnis haec disputatio ad naturae bona commendanda pertineat, naturae vitio vertitur, quod intelligentias non satis claras inchoaverit. Sensit id quidem Bakius; verum quod ipse coniecit, nec ego, nec alius, opinor, probaverit. Quomodo enim obscurae intelligentiae certae possint appellari, merito quispiam requisiverit. Mihi quidem verba nec satis intelligentias enodavit videntur hominis esse haec interpretaturi, et primum margini adscripta in verborum deinde seriem ita recepta esse, ut locum occuparent verborum intelligentias inchoavit. Quod etsi raro tantum codicem archetypum interpretamentis videmus commaculatum: tamen ne illis quidem eum prorsus vacare, arguunt loci plures, veluti I, 23. 61. popularem alicuius definiti loci. II, 2. 5. habet civitates et unam illam civitatem putat. I, 1. 2. verumne sit.

I, 19. 50. Ac me istorum philosophorum pudet, qui nullum [a]) iu-

a) nullum, pro quo in codd. A E H ullum, in cod. B illum est, firmatur et omnium deteriorum et quorundam meliorum auctoritate (Gud. 2. C. δ 65).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicium [a]) vitare, nisi vitio ipso mutatum [b]) putant. Quomodo ea, quae his proxime praecedunt, essent constituenda, supra iam indicavi p. 8 et pluribus exposui in progr. p. 13 et 14. Haec ita descripsi, uti in codice archetypo ea scripta fuisse suspicor. Quorum emendationem quum iam abhinc sex annos inchoaverim in eodem progr. p. 14, non absolvi tamen. Recte tunc quidem vitioso vitandi verbo expulso pro iudicium commendavi impudicum, ac deinceps mulctatum, reliqui vitiosum illud pronomen ipso, pro quo si duabus litteris mutatis scripseris isto, optime se habent omnia. Quid enim? petuntur nimirum Epicurei, qui vitia non suapte vi, sed propter damna aut detrimenta, quae afferrent, vitanda esse dicebant. Cfr. §. 51. et quae de Fin. I. inde a cap. 13. de singulis virtutibus vitiisque contrariis disseruntur. Quae autem de vitio universo sentiebant, ea hic ad impudicitiam transferuntur, id quod satis elucet ex verbis: quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, quum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? Quae quidem eo spectaut, ut ista Epicureorum de impudicitia sententia refutetur. Mulctari autem etiam alias ita usurpatur, ut non addatur poena, qua quis afficiatur, sed res, ex qua quis damnum capiat. Cfr. Cic. pro Rab. Post. 1, 2. Cic. Fam. VI, 7. 1.

II, 3. 7. Quod ex codicibus paene omnibus enotatum est, quam, id qui cum Goerenzio probet, non facile reperietur. Quid enim erat, quod de ista amoenitate, qua tunc ipse cum Attico et Quinto fruebatur, Quintum saepe loqui diceret? Quare alii coniecerunt quemadmodum, veluti post Manutium Lambinus, Aldus nepos, Lall. Schuetz. Moserus, alii quantum, veluti idem Manutius et Bakius. Quorum tamen neutrum ego probaverim. Quum enim quid ipse de ista amoenitate fluvii Epirotae opinetur, declaret, non potest simul ad Quinti iudicium provocare, id quod fieret, sive quemadmodum, sive quantum scriberetur. Verum procul dubio iam viderunt Davisius et Rathius, qui quem commendarunt; ad quam coniecturam etiam codices A et B ducunt, ex quibus pro quam a Bakio enotatum est que. Verba autem quem ex Quinto saepe audio hanc vim habent: de quo Quintum saepe loquentem audio. Dicuntur autem ista prorsus eodem modo, quomodo I, 1. 1. lucus dicitur saepe a me lectus in Mario et Acad. II, 3. 8. quam quemquam eorum, quos legisset. Et ipsum audiendi verbum sic usurpatum est a Cicerone de Or. I, 60. 255. Multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus et Laelium, qui omnia sermone conficerent paullo intentiore.

II, 11. 27. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti

---

a) iudicium uitare nisi vitio ipso mutatum, pro quo adhuc editum est: vitium [vitare], nisi iudicio ipso notatum et melioribus codicibus omnibus et deterioribus longe plerisque firmatur; tenent enim Davisi et Moseri omnes, atque ex Baki codicibus solus α habet: nullum vitium vitare, nisi vitio ipso mutato, uti codex Cass. Goerenzi, qut in quatuor fuis iudicium — vitio ipso reperisse se testificatur.

b) in melioribus quidem mutatum; deteriorum alii mutatum (α W. Mon.), alii multatum (β ε Cr.), inter quam utramque scripturam omnes Davisi et Goerenzi codices fluctuare dicuntur. Soli codices γ et S. Vict. notatum habere traduntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sumus, loquuntur, et is, qui appellatur, vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores. In codicibus nulla scripturae discrepantia notabilis; nam quod ABE 11. effecti sumus habent, id mendum apertum est. Et recte quidem se habet et indicativus modus affecti sumus, pro quo post Manutium, Lambinum, Gruterum Ernestius et Schuetzius simus scripserunt, et mores, quod cum Goerenzio unius Gud. 2. auctoritate [a]) expulerunt Schuetzius, Moserus, Orellius. Utrumque recte nunc defendit Bakius, quum ego idem ante fecissem in progr. p. 1. Sed quemadmodum pro nimis arguti parum recte commendavit in minimis arguti (dicendum certe erat vel in minimis arguti, ne in minimis tantum videantur oculi arguti esse): ita ego tunc eadem verba parum recte ita defendi, ut oculos intelligendos esse dicerem argutiores, quam ipsi cuperemus, quum vel invitis nobis animi affectus proderent. Non enim videntur oculi nimis arguti in hoc sententiarum nexu alii intelligi posse, quam qui omnino iustum modum excedant. Assentior igitur nunc Bakio, nulla interpretatione nimis defendi posse dicenti, et commendo haec: nam et oculi in primis arguti, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur, et is, qui appellatur vultus — indicat mores. Quibus continetur hoc, oculos, qui singulos animi motus et affectus prodant, etiam argutiores esse, quam vultum, qui mores universos indicet. Et quomodo nimis ex inprimis nasci potuerit, si quaeris, nihil isto fuit facilius. Etenim inprimis sic notabatur: ĩpmiſ. Litera p igitur obliterata restabat unuſ, quod est in Gud. 2., unde proclivis sane fuit transitus ad scripturam nimiſ.

II, 14. 34 ad Bakium usque vulgata sunt haec: nam de haruspicum religione, de expiatione et procurationibus satis superque in ipsa lege dictum puto, in quibus superque iure dixit Bakius ab hoc loco alienum esse. Nec fuit sane in codice archetypo, in quo haud scio, an fuerint ea, quae codices meliores (BEC δ Gud. 2.) praebent: ſaꝛiſſe illane in ipsa. Quibus ex deterioribus accedunt Lag. 10. 39. γ Gud. 1. Mon. (qui habet ſcillane), Cass. et Ex. (qui habere dicuntur ne illane), ut quae teneant ceteri (αβε 58. 96. W. et si recte Baki interpretor silentium, A 11. 65.) supraque vel superque, quod ex Baki codicibus nullus habet nec omnes Davisi et Goerenzi habere certum est, merae sint coniecturae. Ex isto autem codicis archetypi mendo puto haec elicienda esse: satis esse iam in ipsa lege dictum puto. Veri enim hoc videtur similius esse, quam mendum illane delere nulla vocula in eius locum substituta, id quod Bakius commendavit. Jam si, quomodo hoc mendum ortum sit, quaeris, ita potuit oriri, ut littera extrema vocabuli satis priori litterae compendii ee adhaereret, posterior autem eiusdem compendii littera cum sequenti vocabulo coalesceret (eiam), unde transitus in illane proclivis sane fuit. In pluribus codicibus si statuendum esset mendum istud eodem modo ortum esse, dubitationis aliquid eam rem fateor esse habituram; at quum, in unum si mendum irrepserat, ceteris, nisi coniectura tentaretur, propagaretur, ista mendi origo haud improbabilis est.

a) In Gud. 2. mores librarii lapsu praetermissum esse, hinc elucet, quod in ceteris melioribus notae codicibus est omnibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II, 15. 38. In codice archetypo procul dubio haec erant: iam ludi public quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationes cursu et pugillatione luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis, cavea cantu voce ac fidibus et tibiis; et quod in codice γ reperitur: in circo (in circa β) et in cavea (in cavea α), nihil nisi coniectura est, id quod moneo, ne quis ab ista loci emendationem putet proficisci oportere. Quam sententiam Marcus declarare voluerit, non obscurum est; satis enim illud ostendunt verba: quoniam sunt cavea circoque divisi. Quum universe ludorum publicorum divisionem tetigisset, quos in circo et quos in cavea haberi vellet, declarare debebat. Sententia igitur procul dubio haec erat efferenda: „Ludi publici, qui ad corporum certationem curriculaque equorum spectant, in circo habeantur; in cavea, qui pertinent ad cantum." Jam quum nec dici posse videatur: circo constituti sint ludi publici corporum certatione curriculisque equorum, ut significetur: quoad ad corporum certationem et curricula equorum spectant, praesertim quum certationis vocabulo pariter atque vocabulo cantus adiungantur ablativi, ut, quibus rebus corporum certatio fiat, significetur, et temeritatis sit corrigere: certationes curriculaque equorum sint circo constituta: hoc unum restat, ut scribatur: iam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi, sit corporum certationi cursu, pugillatione, luctatione curriculisque equorum ad certam victoriam circus constitutus; cavea cantu (cantui) voce ac fidibus et tibiis. Ita nihil omnino violenter mutatum est praeter certationes; nam nominativi circus facilis fuit in circo transitus, si per notam scribebatur circ'. Quod autem certationes, quod quomodo librarii lapsu ortum sit, demonstrari sane nequit et correctioni deberi videtur de industria factae, mutavi in certationi, iccirco audaciae nemo me coarguat. Aut enim certationes, aut curriculis emendari oportet, quia utrumque prorsus eodem modo ex praedicato pendet neque curriculis cum ceteris ablativis cursu, pugillatione, luctatione ex certationis vocabulo pendere potest. Vide legem ipsam §. 22. Verba autem ludi publici, etsi non idem subiectum est in altero enunciato, ideo principio enunciati posita sunt, quia in hoc transitu ab alia re ad aliam rem istam intendi oportebat, ad quam iam transitus fieret. Cfr. Cic. Nat. Deor. I. §. 12. ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, ideo ars nulla medicina est? Sen. Epist. 27. Quemadmodum, scelera etiamsi non sint deprehensa quum fierent, sollicitudo non cum ipsis abit: ita improbarum voluptatum, etiam post ipsas, poenitentia est.

II, 25. 63. In codicem archetypum haud dubie mendum iam invaserat quom niquid vel quom inquid, quod est in melioribus omnibus itemque in aliquot deterioribus (Cr. D), nisi quod in his pro quom scriptum est, aut quum, aut cum, uti in ipso E (cum inquit veri) [a]). Quare frustra h. l. a codicibus salus exspectatur.

a) Eamque scripturam confirmari puto plurimis codicibus Goerenzi, qui perperam in suis omnibus quum nisi (quod est in γ) reperisse se testatur; in Gud. 2. certe distincte scriptum est quom inquit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod quum alii, veluti Manutius, Davisius, Ernestius, Nobbius, Moserus mendum illud eo tollere conarentur, quod in expulerunt: alii, veluti Goerenzius et Schuetzius in mutarunt in si; Bakius denique violentiore adhibita medicina coniecit: de mortui laude quum ab uno erat vere praedicatum. Quorum nihil potest probari. Nam praeterquam quod non intelligitur, quomodo mendum in vel ni oriri potuerit, si nulla eius loco vox scripta erat, efficitur etiam verbis quum quid veri erat praedicatum sententia vagior, quam quae probari possit, quasi vero mortuorum laudi satis consulatur, modo aliquid veri, nec quicquid veri de eis praedicetur. Nec aptior profecto est sententia conditionalis a Goerenzio et Schuetzio ecfecta et verbis quum — erat praedicatum interiecta. Requiro equidem haec: de mortui laude quum quicquid veri erat praedicatum. Cfr. Cic. pro Cluent. 19, 52. ut quicquid ego apprehenderam. Tusc. V, 39. 48. ut quicquid obiectum est. Mendum autem antiquitus in codice litteris maiusculis scriptò ita videtur natum esse, ut prima pronominis littera Q propter litteram O (QUŌ) praecedentem librarii lapsu praetermitteretur.

II, 16. 41. A Turnebo inde vulgatum fere est apud Solos, quod licet a Bakio nuper enotatum sit e codice δ, correctioni debetur. In melioribus quidem codicibus (ABC Gud. 2.) est apud sole sit in delubro [a]), unde non multum discedit E (apud solem sit in delubro). Quibus quum praeter Brux. et Vindobonensem, qui plane idem tenent, etiam suffragentur deteriorum aliquot (sole syt in γ, solesytim Gud. 1., sole sythim Par., soletim Cass. Ψ., soles istinc Ex., soles item Mon.): veri est simillimum sole sit, vel solēsit iam in codice archetypo fuisse, atque deteriorum quorundam codicum scripturam apud solem [sit], quae etiam codices Lag. 11. et 65. invasisse dicitur, correctioni deberi. Ista autem codicis archetypi scriptura non ducit ad scripturam vulgatam, sed ad coniecturam Solenses, quam Ursinus et Gulielmus iam praeceperunt; eamque non minus videtur huius loci sententia confirmare, quam infirmare vulgatam. Non enim veri est simile, delubrum, in quo pecuniam Alexander deposuisse dicitur, fuisse ad urbem, sed in urbe: idque Ursini coniectura declaratur, si quidem apud Solenses est in urbe Solensium.

II, 22. 57. Mendum penitus, quod omnes codices obsidet quodque Turnebi coniectura iam sublatum esse putabatur, coniectura nuper sustulit plane egregia Halmius, qui in Schneidewini Philol. I. p. 177 scribendum esse docuit: venit usu, ut humati dicantur. Mendum, quod paucis verbis interiectis itidem in codicibus omnibus nec tamen in omnibus idem reperitur, iste non tetigit. Quare ego nunc tollere conabor. Quod vulgo editum est et a plerisque, non quod probarent, sed quia nihil, quod isto esset melius, habebant: iniecta gleba et illic humatus est et gleba vocatur, id tres ob causas non potest probari. Nam nec gleba (quo nomine mediae tantum aetatis scriptores tumulum appellabant) potest dici tumulus, nec tum post ablativum, quem vo-

a) Nam labitur Goerenzius, quum in cod. Gud. 2. post sole sit praepositionem in ante delubro deesse dicit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cant, absolutum, quo tempus satis iam definitur, ferri potest, nec de homine, sed de tumulo oportet praedicari, id quod satis declarant verba: ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Huc denique accedit, quod Cicero ex iure pontificio colligi vult, humatum eum antiquitus esse appellatum, qui terra sit conditus. Ipso autem iure pontificio non, quo nomine quis iniecta gleba appellaretur, videtur constitutum esse, sed quo tempore inciperet sepulcrum esse et religione teneretur, quemadmodum ait in extrema §. 55. Quae quum ita sint, primum verba humatus est secundarii enunciati debent formam induere, id quod recte iam vidit Madvigius ille sagacissimus in Emendatt. Tull. p. 78. Quo facto necesse est declarari, quo nomine locus is, ubi humatus sit mortuus, appelletur; eoque codicis etiam archetypi vestigia ducunt, in quo haud scio, an haec fuerint: tumulis et humatus est et gleba vocatur, quae ex melioribus tenent AB 11. 65. itemque ex deterioribus ε 39. 58. Med. Harl. 2. Cr. W., nam quae varie scripta sunt in aliis codicibus, veluti in Gud. 2. δ (tum et in illis humatus est), in Mon. et γ (tum et illic humatus est), in β (tum et illic tumulus et humatus est), ea aut novo sunt mendo aucta, aut correcta. Verba igitur sic refingo: iniecta gleba tumulus is (sc. locus), quo humatus est, vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Quae ne temere videar arripuisse, primum hoc attendas volo, particulam et, quae post tumulus orationi inserta est, in codicibus saepe sic notari: ⁊, ut facile ex pronominis nota q̊ oriri potuerit. Deinde vero particula ista verboque sequenti vocatur scriba eius codicis, ex quo archetypus fluxit, videtur impulsus esse, ut gleba ante vocatur orationi intruderet. Nam ut verba ista expellenda potius, quam cum Madvigio corrigenda existimem (correxit autem ille ex gleba), illud me movit, quod paullo ante posita sunt verba iniecta gleba, unde satis elucet, glebam iniectam facere, ut tumulus appelletur. Quocirca ex gleba vocatur tum demum recte mihi dici videretur, si tumulus a vocabulo isto denominaretur. Quod autem verba, quorum alterum (is) subiectum, praedicatum alterum est (tumulus), ita iuxta se ponuntur, ut alterum alteri possit attributum putari, id certe non insolentius est, quam quod I, 18. 49 dicitur: nullam virtutem, nisi malitiam putent, et I, 6. 19. appellare eam legem, quae scripto sancit, quod vult.

II, 25. 63. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, ocius terra humandi. In codice archetypo utrum ocius, an hoc ius exaratum fuerit, ego pro certo non affirmaverim; alterum utrum certe fuit. In quo mendo si qui, uti Goerenzius et Moserus, adverbium latere putabant, quo humandi modus describeretur, procul dubio errarunt, id quod demonstravi in progr. p. 19, itemque duobus modis demonstravi mendum istud tolli posse, ut aut obiectum eius loco restitueretur, aut subiectum. In illud ut magis tunc inclinarem, adducebar eo, quod nesciebam, quod substantivum commode subiecti locum posset obtinere. Quod etsi Madvigium in idem iam ante incidisse nunc video: tamen, quum nec opus sit obiecto, ut visum est Madvigio, et verba terra humandi nimis longe videantur a substantivo, ex quo pendent, remota esse, praesertim quum illud verbis Athenis et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a Cecrope interiectum omni fere dicendi vi exuatur, magis nunc inclino eo, ut subiectum mendo isto contineri existimem. Quare sic illa refingenda existimo: Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit ac ius terra humandi. Jus autem terra humandi iccirco h. l. dici puto, quia posteriore aetate mos ille terra humandi consuetudini mortuorum urendorum sensim cessit, ita tamen, ut ius terra humandi omnibus integrum maneret.

III, 17. 42. Nihil minus et civile et humanum. Bakius merito displicere sibi dixit particulam et, quam illatam primum a Goerenzio ex codd. Brux. et Vind. amplexi sunt Schuetzius, Moserus, Nobbius, Orellius. Cur displiceret, ipse non indicavit. Dicitur autem nihil minus et civile et humanum, quasi sit, quod minus sit humanum nec tamen etiam civile, aut quod minus sit civile nec tamen etiam humanum. Nec vero codicum auctoritate haec particulae firmatur geminatio. In plurimis enim codicibus, quorum in numero ex melioribus sunt AB 11. 65. scriptum est: nihil enim minus civile est et humanum. Quod probari sane posset, quemadmodum probatum est a Bakio, nisi veri simile esset eam esse correctionem haud probabilem mendi veteris, quod iam codicem archetypum occupavit quodque etiam nunc servatum est in codicibus E et δ, in quibus haec sunt: nihil minus e civile est humanus et quibus alii nonnulli codices ita suffragantur, ut, licet correctionem susceperint, utrumque tamen mendum servent, veluti Gud. 2. (nihil minus e civile est et humanus), Mon. (nihil minus se civile est et hum.), γ (nihil minus et se civile et est humanus). Ex isto autem mendo vetere: nihil minus e civile est humanus puto haec elicienda esse: nihil minus est civile et humanum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf